

M I M

1 6 4 8





~~C. 6. 5~~  
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii  
Regii Glaucensis



46  
APPLAUSUS VOTIVOS  
Clarissimo, Consultissimoq; VIRO

DN. **Gottfriedt SVEVO**

Leorino-Silesio,

*In celeberrima Vitebergensium Academia*

*summos in utroq; JURE Honores*

*VII. Novemb. capienti,*

Et postmodum XIV. dicti Mensis

*cum*

*Lectissimâ, Florentissimâq; FOEMINA*

**ANNA DOROTHEA REUSNERIA**

*quondam*

*Clarissimi & Consultissimi VIRI*

DN. **ARNOLDI Stillens J. U. D.**

Facult. Jurid. Asessoris, nec

non Curiaë Elector. Witeb. Advo-

cati Ordinarii

relictâ Vidua,

*Nuptias celebranti*

VRATISLAVIâ transmittunt

Fautores, Amici

ANNO

*MDCLXXIII. Caplens excelsos, sveve, Marita*

*IVngeris, & patriæ Cognita facta factis.*

---

Ibidem exprimebat **GEORGIUS BAUMANN.**

1673

te Minerva  
en agri.  
ena,  
vax.  
quam  
nequit  
a faventq;  
Virum.  
cinxit,  
DEUS.  
ecunda;

refert.  
ingant,  
ies.  
m,  
Tuo.

F.  
fredus Textor  
Theol. Stud.





**A**ltior it virtus duris exercita rebus :  
Palma velut surgit pondere presfa  
gravi.

Te quoq; de-presfit, sed non oppresfit, Amice,  
Innumeris tenus hac sors inimica malis.

Et Patriæ clades, & præmatura parentum

Et Cognatorum mors, fuga, damna, labor.

Nec mirum, fatis jam tunc si fractus acerbis

Dixisses toruæ Palladi triste Vale.

Sed pater omnipotens, in vota presesq; vocatus

Vix expectatam suppeditabat opem.

Hinc spe damna levans jam contra audentior ibas,

Tingi Castaliis porrò juvabat aquis.

Nunc tandem lætus blandas exsurgis in auras,

Et cinctum gemino tollis honore caput.

Juris Doctorem Te Leucoris alma salutæ,

Consortem thalami jungit & ipsa Tibi.

Hoc est, quod virtus meruit tua, quodq; futurum

Speravit quondam clarus in orbe parens.

Id namq; ostendit, memini, vernantibus annis,

Frontis honos, pietas, ingeniiq; vigor.

O Te felicem, cui post tot nubila & umbras

Candidior cœli fulget ab arce dies.

Fulgeat,



Fulgeat, opto, diu; spiret clementior aura:  
Cingat ver thalamum, gratia dia domum.


*Ita boni ominis E. Viro Clariss.*

*Cognato suo amicissimo gratulatur*

CHRYSOSTOMUS Schulz

Leor. Sil. Amplifs. Vratislav.

Scabinatui à Secretis.




Siccine SUEVE, licet leges eludere legum  
Cultorem, qualem TE Witeberga refert?  
Scis, bigamis statuat quam juris sanctio pœnam;  
Uno bina tamen tempore vota facis,  
Et nisu audaci sponsalia bina celebras:  
Una THEMIS Sponsa est, altera REUSNERIAS.  
Nec pœnâ dignum TE quisquam iudicat; ausis  
Gratatur potius DOCTA CORONA Tuis;  
Et contestatur, quod reddere noveris aptè  
Consona jura foro, consona jura thoro.  
Nalepidum specimen, quo, sis quod utroq; peritus  
In jure, & summo dignus honore, probas!  
Hem! TE porro virum præsta. Molimine tanto  
Digna brabèa THEMIS REUSNERIASq; dabunt.  
Sic Patris & Soceri TE laus & fama sequetur  
Quàm TIBI fortunam lingvâ animoq; precor!

*Ita Viro Clarissimo & Consultissimo,*

*DN. GODOFREDO SUEVO, Fautori & Amico  
plurimum colendo, promotionem Doctoralem &  
nuptias simul celebranti animit' congratulatur,*

CHRISTIANUS Friederich, J. U. L. & inclutæ  
Reip. V Vratisl. Scabinographus.





**G**rata mihi mittis, simul & svavisissima verba  
Mittis, Amice, tuis gratuler ut meritis.  
*Grata* quidem, capias quod præmia digna laboris,  
*Svarvia*, quod detur lecta Marita Tibi.  
Hæc si conjungo, sunt utraq; dona JEHOVÆH,  
Quod clarum Sponsæ nomen & inde docet.  
Est *Theodora* DEI donum, sunt præmia parta  
Supremi Tituli Cœlipotentis opus,  
Quæ nisi gratarer Tibi munia, SVEVE, viderer  
Frangere firmatæ foedus Amicitia; ;  
Sit felix vester thalamus, titulusq; supremus  
Sit Tibi, sit Patriæ, concino, grande decus!

*Ita Amico suo veteri*

*& honorando gratul.*

M. DAVID FABER

WratisL. ad D. Elisabethæ  
ibidem Diaconus.



*Consultissimo Viro*

DN. GODOFREDO SUEVO SILESIO,  
Summos in Utroq; Honores  
& Privilegia nuper Wite-  
bergæ promerito.

**E**t Tibi, SUEVE, Tui qui pergis Nomina Patris,  
qui cata Leucoria corda Themisti probas;  
Et tibi nunc Titulos confert Tua Leucoris; illa  
Musarum, & Themidis Mater, & Eusebies?

*Sic*



*Sic mihi Fama refert; quâ Mens, quâ vivida Virtus,  
& Tua quâ Pietas docta per ora volat.  
Accedunt nostris Monumenta dicata Dynastis,  
quâ sacra Jura, Patrum, Bresla, tenore colit.  
His dum Personis, causis, Processibus aptum  
quod singillatim Jus sit in orbe, doces:  
Et TE dignandum, satis & TE Nomine dignum  
Doctoris, qui Jus edocet, esse doces.  
Dignis digna Viris tribui, Themis enthea mandat:  
attribui renuat cur Tibi digna viro?  
Non renuat: sed TE, quod es, id vult optima dici  
Diva, nec obscuro delituisse loco.  
Dicite DOCTOREM, SUEVUM, dea fatur; & Illi  
Consultæ Laurûs cingite fronde caput.  
Dictum istud, factum. Factum gratamur Amici,  
quæis cura est Patrii Fama, Salusq; Soli.  
Sint semper, ceu fert Laus prisca fuisse, Silesi,  
quos Themis, Eusebie, Phœbus, Hygæa, colant.  
Inter & hos Themidos nova Laus, & Silesidos oræ,  
SUEVE, vige, SUEVI mentio donec erit.*

*ex animo meritorum honorum*

*ergo gratulor Bresla*

M. VALENT. KLEINWECHTERUS  
Gymnasii Magdalen. Conrektor,  
& Professor.



Q ualis sacri minister ales fulminis  
Pennê levatus remige

B 3

Nubes



Nubes penetrat imbriumq; patriam,  
Et in sinu Jovis sui  
Terras inertes spernit hospes ætheris,  
Ac irretorto lumine  
Illustre solis intuetur es sedum:  
Talem rotis te candidis  
Subvexit ardens, Sveve, diligentia  
Per luculentas semitas,  
Et collocavit in beato vertice,  
Ubi serenum visitur  
Fanum Monetæ gloriæ proscenium.  
Hinc despicias jam desides  
Fesoniæ toculliones, qui suos  
Agunt dies inglorii.  
O pervigil satelles Astrææ sacrae,  
Jurisq; consultæ Diæ, ce  
Qvis non amicorum tuam victoriam  
Utroq; laudet pollice?  
Qvis EUGE! Qvis FELICITER! non accinat  
Tuis favens honoribus?  
En! ipsa Cyrrha ter trium Libetridum  
Applausibus strepit novis.  
Præ cæteris Apollo spondet è specu  
Sortes benignas entheo,  
Qvales meretur illa virtus nobilis,  
Et pertinax industria.

M. JOHANNES FECHNERUS,

---


Est adeo



**E**st adeo verum! dat Justinianus honores.  
usus commonstrat, tempora longa docent.  
Verus honos <sup>artem</sup> alit, hasq; sequuntur amores  
Intima quos probitas utilitate probat.  
His quicumq; gerit morem, qui jungere mores  
Novit consuetos, gratus is esse solet.  
His quò ritè frui possis, tu sedulus ores  
Est opus, ut summus dirigat ista Deus.  
Tunc latus fies, tunc felix, insuper & res  
Addentur, gratæ quæ satis esse queunt.  
Cuncta tibi cedunt; dat Justinianus honores,  
Suevi, perdulcis te comitatur amor.  
Moribus & mores conformas. Strenus ores  
Ut tibi succedant res bonitate pares.  
Talibus in præsens contentus, plura necesse  
Si tibi, conjungat qui regit illa DEUS.

apponebat amico suo  
singulariter dilecto

M. CASPARUS Lehman.

  
**M**agnum iter, & sævâ præclusum militis irâ,  
Mocyus ad doctas proficisci invitor Athenas,  
Dum meus in Phœbi castris commilito quondam,  
Sedulus Astrææ cultor, multâ inclutus arte,  
Doctoris diadema capit, quâ Leucorin Albis  
Alluit, Aonii Juvenes quâ tramite crebro  
Ad juga montis eunt, merituri ab Apolline laurum.  
Nec modò spectatum coràm tua laurea ferta,

Et quæ



Et quæ *Doctores* tribuent immunia Jura  
Doctori Tibi, *Sveve*, novo, ceu digna brabéa;  
Sed quoq; ducturo Tibi congaudere maritam  
Perlepidam invitor, gemini ad solennia festi.  
Quam verò sociam sancto Tibi foedere junges?  
*Doctoris* viduam, *Doctoris* sanguine natam,  
*Reusnerus* pater est, prænobilis antè Themistos  
Antistes Seniorq; ad pulpita *Leucoris* almæ,  
*Stillius* hanc duxit, memini, cùm ferta mereret  
Congrua, præcellens Juris Legumq; peritns,  
Hæc charo viduata viduata viro Tibi ducitur uxor,  
Fœmina næ raris virtutum dotibus aucta!  
O quàm jucundum mihi sit, genialia tecum  
Vivere festa *Professorum* spectare verendum  
Concilium, & quondam calcata revisere templa,  
Ire salutatum *Wendleri* limina, nec non  
*Sperlingum* meritis venerari amplexibus, olim  
Ambo salutatos, auditos ambo lubentèr!  
Temporis at brevitatis, distantia longa locorum,  
Difficiles aditûs, prohibent & mille pericla.  
Fallor, an hæc ipsa succendis luce jugales  
Tedas, cùm præsens animo Tibi carmina pango?  
Hinc, si *Pegaseum* me transportare caballum  
Curarem, præsens hodiè non *Leucorin* urbem  
Assequerer. Verùm nequeo si corpore, mente  
Assequar, & calidis attingam sidera votis.  
Jova novum thalamum cœlestibus asfere turmis,  
Asmodei rabiem vigiles defendere manda,  
Et genus




Et genus omne mali procul à penetrabilibus arce!  
CHRISTE, precor, vinum Sponsis infunde novellis,  
Egere tristitiæ lymphas, multaq; parentes  
Prole bea, seros senibus largire nepotes!  
Dirige, Sancte, novi Doctoris munia, Flatus,  
Ut rectum sapiat, falsi discrimina Legum  
Æqvanimi librâ mensuret, & audiat æqvus  
Justitiæ vindex, injusti candidus ultor.

Ita ὀλοψύχως gratulatur

GEORGIUS TITIUS,

Trib. Zythopol. Vratisl.  
Notarius.



Ex illo Seneca Epist. 31.

Generosos Animos Labor nutrit. &c.

*S*iccine nutritur vigili generosa Labore  
Mens Hominis? virtus siccine celsa petit?  
Quæ solitos contra conatus, ferre recusat,  
Nonne parum vera commoditatis habet?  
Namq; viri non est Sudoris facta timere,  
Dura sed & quæ sunt aspera fata sequi.  
De Te non dici potuit, Clarissime SVEVE,  
quod veritus fueris fortè Laboris opus.  
Scimus at hoc omnes benè, mens generosa Labore,  
Quod Tua continuo semper amarit ali.  
Quod probat effectus, Tibi quanda LICENTIA JURIS  
Non sine cunctorum plausibus aucta foret.

Compro-





Comprobat hoc ipsum quoq; RES dulcissima SPONSÆ,  
Quam meruit virtus intemerata Tibi.  
Nec Tibi Laus tandem postrema deesse videtur  
Quando salutaris DOCTOR, Amice, novus.  
Siccine nutrita est vigili generosa Labore  
Mens tua? virtus siccine dona tulit?  
Hos grandes igitur Fructus Tibi gratior artis  
Hoc precor exactum Pignus Amoris ama.  
Sic in Conjugii re gnavus DOCTOR abibis,  
Et fies multâ deniq; prole PARENS.

Honoris & Amoris ergò Amico & Fautori  
suo singulari gratulaturus deproper.

M. DAVID CAMERARIUS VratisL.

Qui sua Virtuti devovit tempora, quidnî  
Largitèr hûicipsi munera distribuât?  
Illa etenim verè gaudet gratisima dici  
His, quos Cultores novit adesse sibi.  
Cùm Tu Cultorem magnum Te junxeris illi,  
Indè Tibi cernis Præmia lauta dari.  
Grator id ergò Decus. Grator quoq; quod Venus al-  
Copulat optato Te, SVEVE, Conjugio. (ma-  
Næ, Te DOCTOREM Virtus, Cultusq; MARITUM  
Fecit. Jo! felix vive, valeq;, precor.

Honoribus CLARISS D. SVEVI,  
Fautoris & Amici sui honoratissimi  
jure meritoq; applaudebat


Gottfried DANIEL  
LL. Studiosus.

Nemo



**N**emo sub hoc cælo censet perferre labores,  
Quin meritæ speret præmia digna rei.  
Cerne modo Agricolas verrentes pectine terram,  
Annon expectant semina larga soli?  
Aut Mercatores terræq; mariq; meantes,  
Hi sperant merci splendida lucra sua.  
Seu quoq; perlustratalem, qui castra secutus,  
Annon Victoris nomen habere cupit?  
Aut alios videas distincto munere fungi,  
debita quisq; sibi præmia nonnè petit?  
Hinc quis prudentes, & quos ars longa peritos  
Effecit, vellet carpere dente nigro?  
Si post immensos, quos præstant arte labores,  
In celso sperentserta suprema choro,  
Te talem prodis, SUEVI præclare, fuisse,  
Digna tibi condi præmia quando vides.  
Præmia sunt Uxor, Juris titulusq; supremus,  
Quæ meruit virtus, cura, laborq; tuus.  
Hæc prosit Conjnx, Docturæ fama perennet,  
Atq; seras patriæ commoda grata precor.

SAMUEL SCHOLZ  
Leor. Siles.



SPONSÆ,  
bi.  
detur  
ovus.

?  
artis  
ma.

ico & Fatori  
is deproper.  
IUS Vratisl.

ni  
ibuat?

s illi,

od Venus a  
o. (ma

RITUM  
COL,

NIEL

osus.

Nemo







Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio  
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciborow.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano  
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij  
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quos Deus Autor,  
Quos te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi cine fultus  
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locuplete Suada,

**SPIRITUS** Orator caelicus ille, tuam.

Seminium disperge **DEI** per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta **DEI** assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

**BAPTISTAM** ex cathedra **BAPTISTA** imitare tonantem

**GEBELI!** vera pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quos sacra dicta feres.

Sublatiq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene sero) tuis,

Cum tuba te rupta tumba revocabit ab umbris,

**IOVA**, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosia rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati pramia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

**JANE** mihi multo n nomine care! **VACE.**

ULB Halle

3

002 062 674









AUSUS VOTIVOS  
Consultissimoq; VIRO

ttfriedt SVEVO

orino-Silesio,  
Vitebergensium Academia  
utroq; JURE Honores

Novemb. capienti,  
lũm XIV. dicti Mensis

cum  
Florentissimãq; FOEMINA

OTHEA REUSNERIA

quondam  
& Consultissimi VIRI

DI Stillens J. U. D.

id. Asfesforis, nec  
Elect. Witeb. Advo-

cati Ordinarii  
icta Vidua,

ptias celebranti  
AVIã transmittunt  
utores, Amici

ANNO  
ens exCelsos, sVeVe, MarIta  
patrie CognIta facta facIs.

ebat GEORGIUS BAUMANN.

1643

